



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thomæ A Kempis Canonici Regvlaris Ord. S. Avgvstini De Imitatione Christi Libri Qvatvor

Thomas <von Kempen>

Antverpiæ, 1617

Cap. II. Quòd veritas intus loquitur, sine strepitu verborum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45760](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45760)

DE IMIT. CHRISTI LIB. III. 103
bus clausi, interioribus autem sunt in-
tenti. Beati, qui interna penetrant, &
ad capienda arcana cælestia, magis ac
magis, per quotidiana exercitia, se stu-
dent præparare. Beati, qui Deo vacare
gestiunt, & ab omni impedimento sæ-
culi, se excutiunt.

2 Animaduerte hæc anima mea, &
claude sensualitatis tuæ ostia: vt possis *Ps. 84.*
audire, quid in te loquatur Dominus
Deus tuus. Hæc dicit dilectus tuus:
Salus tua ego sum, pax tua, & vita tua. *Ps. 34.*
Serua te apud me, & pacem inuenies.
Dimitte omnia transitoria, quære eter-
na. Quid sunt omnia temporalia, nisi
seductoria? Et quid iuuant omnes
creaturæ, si fueris à creatore deserta?
Omnibus ergo abdicatis, creatori tuo
te redde placitam ac fidelem, vt veram
valeas apprehendere beatitudinem.

C A P. II.

*Quòd veritas intùs loquitur sine
strepitu verborum.*

LOQUERE Domine, quia audit *1. Reg.*
seruus tuus. Seruus tuus sum *Ps. 111.*
ego, da mihi intellectù, vt sciam testi-

E 4 monia

monia tua. Inclina cor meum in verba
oris tui; fluat vt ros eloquium tuum.

Exo. 26 Dicebant olim filij Israel ad Moysen:
Loquere tu nobis, & audiemus: non

loquatur nobis Dominus, ne fortè
moriatur. Non sic Domine, non sic
oro: sed magis cum Samuele prophe-
ta, humiliter ac desideranter obsecro:

Reg. 3 Loquere Domine, quia audit seruus
tuus. Non loquatur mihi Moyses, aut

aliquis ex Prophetis: sed tu potiùs lo-
quere Domine Deus, inspirator & il-
luminator omnium Prophetarũ: quia
tu solus sine eis, potes me perfectè im-
buere; illi autè sine te, nihil proficient.

2 Possunt quidem verba sonare, sed
spiritum non conferunt. Pulchrer
dicunt, sed te tacente, cor non accen-
dunt. Literas tradunt, sed tu sensum
aperis. Mysteria proferunt, sed tu re-
feras intellectum signatorum. Māda-
ta edicunt, sed tu iuuas ad perficien-
dum. Viam ostendunt, sed tu confor-
tas ad ambulandum. Illi foris tantùm
agunt, sed tu corda instruis & illumi-
nas. Illi exteriùs rigant, sed tu fœcun-
ditatem donas. Illi clamant verbis, sed
tu auditui intelligentiam tribuis.

3 Non

3 Non ergo loquatur mihi Moyſes,
 ſed tu Domine Deus meus æterna ve-
 ritas: ne fortè moriar, & ſine fructu
 efficiar, ſi fuero tantùm foris admoni-
 tus, & intus non accenſus: ne ſit mihi
 ad iudicium, verbum auditum, & non
 factum: cognitum, nec amatum: credi-
 tum, & non ſeruatum. Loquere igitur ^{1 Reg. 3.}
 Domine, quia audit ſeruus tuus, ver-
 ba enim vitæ æternæ habes. Loquere ^{Ioan. 6.}
 mihi, ad qualemcumque animæ meæ
 conſolationem, & ad totius vitæ meæ
 emendationem: tibi autem, ad laudem
 & gloriam, & perpetuum honorem.

CAP. III.

*Quod verba Dei, cum humilitate ſunt
 audienda: & quòd multi ea
 non ponderant.*

Audi fili verba mea, verba ſua-
 riſſima, omnem Philoſopho-
 rum & Sapientium huius mudi ſcien-
 tiam excedentia. Verba mea ſpiritus ^{Ioan. 6.}
 & vita ſunt, nec humano ſenſu pen-
 ſanda. Non ſunt ad vanam compla-
 centiam trahenda, ſed in ſilentio au-
 dien-